

clesiae; — Patronus principalis Regionis, vel Dioecesis, aut loci.

NOTA. Festum primarium est Dedicatio propriæ Ecclesiae; primarium est etiam Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum Archidioecesis in cumulo celebratum (cfr. Q. 105, Nota II); attamen per Decretum 24 Maii 1901, *Dubiorum*, S. Rituum Congregatio rescripsit hoc Anniversarium esse tantum Festum secundarium pro illis Ecclesiis quæ consecratæ non sunt. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 399.)

## DUPLICIA SECUNDÆ CLASSIS :

Circumcisio Domini; — Festum SS. Trinitatis; Purificatio, Visitatio et Nativitas B. Mariæ V.; Dedicatio S. Michaelis Archangeli; — Natalitia undecim SS. Apostolorum; — Festa SS. Evangelistarum; — Festum S. Stephani Protomartyris; — Festum SS. Innocentium Martyrum; — Festum S. Laurentii Martyris; — Festum S. Annæ, Matris B. M. V.; — Festum S. Joachim, Patris B. M. V.

## DUPLICIA MAJORA PER ANNUM :

Transfiguratio Domini; — Dedicatio Archibasilicæ SS. Salvatoris; — Dedicatio S. Mariæ ad Nives; — Dedicatio Basilicarum SS. Petri et Pauli Apostolorum; Festum SS. Angelorum Custodum; — Festum S. Barnabæ, Apostoli; — Festum S. Benedicti, Abbatis; — Festum S. Dominici, Confessoris; — Festum S. Francisci Assisiensis, Confessoris; Festum Patronorum minus principalium.

## ALIA DUPLICIA PER ANNUM :

Dies natalitia, vel quasi natalitia uniuscujusque Sancti.

## B. Pro aliquibus locis :

Festum S. Gabrielis, Archangeli; — Festum S. Raphaeli, Archangeli; — Dies natalitia, vel quasi natalitia uniuscujusque Sancti;

Commemoratio Sanctorum, quorum Corpora, vel Reliquiæ in Ecclesiis Dioecesos asservantur.

## FESTA SECUNDARIA SUNT :

## A. In Kalendario universalis :

## DUPLEX PRIMÆ CLASSIS :

Festum Sacratissimi Cordis Jesu.

NOTA. Secundarium etiam est Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum nostræ Archidioecesis pro illis Ecclesiis quæ consecratæ non sunt. (Vide Notam supra descriptam ad Festa primaria, A.)

Item secundarium Festum est Titulus Ecclesiae Cathedralis extra ipsam.

## DUPLICIA SECUNDÆ CLASSIS :

Festum SS. Nominis Jesu; — Festum Inventionis S. Crucis; — Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.; Solemnitas SS. Rosarii B. M. V.; Festum Patrocinii S. Joseph.

## DUPLICIA MAJORA :

Exaltatio S. Crucis; Duo Festa Septem Dolorum B. M. V.; — Commemoratio B. M. V. de Monte Carmelo; — Festum SS. Nominis B. M. V.; — Festum de Mercede B. M. V.; — Præsentatio B. M. V.;

Apparitio S. Michaelis Archangeli; — Decollatio S. Joannis Baptistæ; — Cathedra S. Petri Apostoli utraque (Antiochiæ et Romæ); — Festum S. Petri ad Vincula; — Conversio, et Commemoratio S. Pauli Apostoli; — Festum S. Joannis ante portam Latinam.

## B. Pro aliquibus locis :

Officia Mysteriorum et Instrumentorum Passionis D. N. J. C.; — Festum SS. Redemptoris; — Festum Sanctæ Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph;

Festum SS. Cordis Mariæ; — Festa Desponsationis, Maternitatis, Puritatis, Patrocinii B. M. V.; — Translationis Almæ Domus B. M. V.; — Exspectationis Partus B. M. V.; — B. Mariæ V. sub titulo Auxilium Christianorum; — Prodigiorum B. Mariæ V.; — Apparitionis B. M. V. Immaculatæ; — Manifestationis B. M. V. Immaculatæ, a sacro numismate;

Commemoratio Omnia SS. Summorum Pontificum;

Item alia quæcumque Festa sive Domini, sive B. Mariæ V., sub aliquo peculiari titulo; sive Sanctorum, præter eorumdem natalem diem, uti Inventionis Corporum, Translationis, Receptionis, Patrocinii, et hisce similia.

NOTA 1. Datur hæc Catalogus sicuti a S. Rituum Congregatione tradita fuit; in ea recensentur Festa quædam, vel quæ in nostra Dioecesi sub diversa classe

recoluntur, ex. gr., Patrocinium S. Joseph : hæc in diversa classe retinent suam qualitatem ; — vel quæ pro aliquibus locis concessa apud nos non recoluntur, ex. gr., Festa SS. Redemptoris, Prodigiorum B. M. V., et alia ; de his cura nobis non erit ; — adde quod inter Festa particularia Quæstionibus 105, 106, 107 enumerata, sunt quæ speciatim in hac Catalogo non recententur : unusquisque poterit ex regulis Quæstione 104 sub III, et in præsenti Catalogo traditis discernere quæ sit Festorum hujusmodi qualitas.

Per Decretum 5 Februarii 1901, *Hispaniæ*, confirmatum 9 Februarii 1901, S. Rituum Congregatio respondendum censuit Festum particulare Sancti Angeli Custodis esse secundarium. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 130.)

NOTA II. Festum ex natura sua secundarium poterit aliquando in particulari casu fieri primarium ; ex. gr., ubi SS. Cor Jesu est Titulus Ecclesiæ, ejus Festum ratione Tituli adscribetur inter Festa primaria.

NOTA III. Quæstio de qualitate Festorum eorumque præminentia jamdudum agebatur pro Festis duplicitibus 1 classis, 2 classis et majoribus tantum. Quenam disputationes his ultimis annis præcesserint celebre Decretum de Festis primariis et secundariis (27 Junii 1893, n. 3808), breviter adnotat Doct. Piacenza in sua Expositione novissima Rubricarum Breviarii Romani (cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 225 et sqq.) ; præclarissimum super hoc Decreto Suffragium describitur in Volumine IV Decretorum S. Rituum Congregationis, pag. 376-400 (sermone italicico). — S. Rituum Congregatio declaravit Decreto 14 Augusti 1894 (n. 3837), distinctionem inter primaria et secundaria Festa respicere etiam Festa duplia minora et semiduplicia. Suffragium super declaratione Decreti de Festis primariis vel secundariis, quoad Festa duplia minora et semiduplicia, legi potest in Volumine IV Decretorum S. Rituum Congregationis, pag. 402-408. Hæc declaratio pluribus consecutiis dat locum, de quibus dicetur in Sectione II hujus partis, ubi agitur de Concurrentia et Occurrentia Officiorum. Res satis magni momenti est ut jam hic indicetur.

Q. 109. *Dic generatim quid importent istæ distinctiones inter diversa genera Festorum duplicium.*

R. Quoad ritum, diversa illa Duplicium genera non differunt : sunt enim omnia ritus duplices. Aliunde tamen generatim statui potest inter illa duplex differentiationia, quam sequentes duæ propositiones indicant :

PROPOSITIO 1<sup>a</sup>. Festa quo majora sunt, eo magis per se sola fuent, minusque aliorum secum adjunctione Festorum vilescent.

Exempla : a) Festum duplex 1 classis rejicit omnem commemorationem Festorum occurrentium. — Festum duplex S. Petri Cœlestini, Papæ et Confessoris, et Festum simplex S. Pudentianæ, Virginis, celebrantur 19 Maii ; si hac die 19 Maii occurrit celebrandum Festum duplex 1 classis, ex. gr., Ascensionis Domini, aut Pentecostes, aut diei secundæ vel tertiae infra Octavam Pentecostes, penitus omittetur his diebus Officium utriusque Festi tum S. Petri Cœlestini tum S. Pudentianæ in Officio Ascensionis aut Pentecostes.

b) Festum duplex 2 classis jam admittit commemorationem Festi duplices aut semiduplicis occurrentis ; sed Festi simplicis commemorationem rejicit in Vesperis, et admittit tantum in Laudibus. — Si die 19 Maii occurreret celebrandum Festum SS. Trinitatis, duplex 2 classis, fiet quidem in ejus Officio commemratio S. Petri Cœlestini in utrisque Vesperis et in Laudibus ; Festi simplicis S. Pudentianæ autem fiet commemratio in Laudibus, sed non admittetur in primis Vesperis.

c) Reliqua Festa Duplia majora et minora nullam rejiciunt occurrentium Festorum commemorationem.

PROPOSITIO 2<sup>a</sup>. Festa quo majora et digniora sunt, eo magis fixa loco remanent, et aliorum Festorum Officia integra a loco removent.

Exempla : a) Festum S. Rumoldi, 1 Julii, in Archidiœcesi Mechlinensi duplex 1 classis, removebit Officium Festi duplices 2 classis Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C., celebrandi Dominica 1 Julii, casu quo 1 Julii esset Dominica.

b) Festum Anniversarii Dedicationis Ecclesiarum, duplex 1 classis, Festum Domini, celebrandum in Archidiœcesi Mechlinensi Dominica post Octavam Omnim Sanctorum, removebit a loco suo Officium Festi S. Martini, 11 Novembris, celebrandi in iis locis ubi iste Sanctus est Patronus, ritu duplice 1 classis, casu quo hac Dominica occurreret dies 11 Novembris ; ratione enim dignitatis hic prævalet Festum Dedicationis.

c) Festum Visitationis B. M. V., 2 Julii, duplex 2 classis, Festum primarium, removebit Officium Festi duplices 2 classis Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C., quod est secundarium, ce-

lebrandum Dominica I Julii, casu quo 2 Julii esset Dominica dies; prævalebit enim ratione qualitatis Festum primarium B. Mariæ Virginis.

d) Festum Solemnitatis SS. Rosarii B. Mariæ V., duplex 2 classis, celebrandum Dominica I Octobris, prævalebit Festo S. Francisci Assisiatis, duplice majori, 4 Octobris, casu quo in Dominica I Octobris occurreret 4 dies hujus mensis, illiusque Festi Officium removebit a loco suo, a die sua propria.

Q. 110. *Quænam distinctio hodie dicenda est inter Festa duplia minora?*

R. Inter Festa duplia minora quæ in Kalendario Ecclesiæ universalis describuntur, præter rationem qualitatis, a reliquis distinguenda sunt Festa primaria Sanctorum Ecclesiæ Doctorum, quia habent privilegium Officii integri, et translationis, casu quo aliquod impedimentum accidentale occurrat in die qua hæc Festa celebranda sunt. Festa Sanctorum Ecclesiæ Doctorum duplia minora hodie numerantur viginti tres, scilicet :

1. S. Gregorii I (magni) Papæ, 12 Martii.
2. S. Ambrosii Episcopi, 7 Decembris.
3. S. Augustini Episcopi, 28 Augusti.
4. S. Hieronymi Presbyteri, 30 Septembris.
5. S. Hilarii Episcopi, 14 Januarii.
6. S. Francisci Salesii Episcopi, 29 Januarii.
7. S. Petri Damiani Episcopi, 23 Februarii.
8. S. Thomæ de Aquino, Confessoris, 7 Martii.
9. S. Isidori Episcopi, 4 Aprilis.
10. S. Leonis I (magni) Papæ, 11 Aprilis.
11. S. Anselmi Episcopi, 21 Aprilis.
12. S. Bedæ Venerabilis, Confessoris, 27 Maii.
13. S. Bonaventuræ Episcopi, 14 Julii.
14. S. Alphonsi Mariæ de Ligorio, Episcopi, 2 Augusti.
15. S. Bernardi Abbatis, 20 Augusti.
16. S. Petri Chrysologi Episcopi, 4-5 Decembris.
17. S. Athanasii Episcopi, 2 Maii.
18. S. Basilii (magni) Episcopi, 14 Junii.
19. S. Cyrilli Episcopi Alexandrini, 9-14 Februarii.
20. S. Cyrilli Episcopi Hierosolymitani, 18-22 Martii.
21. S. Gregorii Nazianzeni Episcopi, 9 Maii.
22. S. Joannis Chrysostomi Episcopi, 27 Januarii.
23. S. Joannis Damasceni, Confessoris, 27 Martii.

NOTA. Privilegia quibus gaudent Festa primaria SS. Ecclesiæ Doctorum ritus duplicis minoris extendi non debent ad eorum Festa secundaria ejusdem ritus. (S. Rituum Congregatio, Decret. 24 Maii 1901, *Dubiorum*, ad X.; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 401.)

Q. 111. *Explica quid intelligatur per Sanctorum diem natalitiam et quasi natalitiam; quid per diem propriam et tamquam propriam.*

R. I. In diversis responsis ad præcedentes Quæstiones de Festis indicatum fuit tamquam primarium Festum Sancti quod celebratur in ejus die natalitia vel quasi natalitia; tamquam secundarium vero Festum Sancti quod de eodem celebratur præter natalem diem. Super quo notandum est :

Festum alicuius Sancti generatim celebratur in ejus die natalitia; hæc autem non est dies temporalis natalitatis qua in hunc mundum editus fuit, nam hæc, si excipias Nativitatem B. Mariæ V., necnon S. Joannis Baptistæ, nullo modo celebrari potest liturgico ritu vel alio sacræ solemnitatis modo, uti rescripsit S. Rituum Congregatio, Decreto 21 Decembris 1893 (n. 3816); sed natalitia dies Sancti intelligitur ea in qua Sanctus obiit et ad cœlestem vitam migravit, seu æternam ingressus est vitam, sive martyrio, sive naturali morte; eo quod, ut ait S. Ambrosius, e delictorum carcere liberatus libertati nascitur Salvatoris. Hinc passim in Martyrologio Romano annuntiatur per verbum « Natalis » dies festa alicuius Sancti quæ celebratur in ejus die natalitia.

Attamen, quia nonnumquam in hac præcise die qua Sanctus aliquis obiit, seu in ejus die natali nequit ejus Festum celebrari, quia jam aliud huic diei adscriptum reperitur in Kalendario Ecclesiæ universalis Officium præferendum, vel Festum alterius Sancti celebratum in hujus die natalitia et præferendum, in casu seligit pro arbitrio suo, et determinat Apostolica Sedes aliam diem in qua Sancti supervenientis Festum quotannis recoletur, quæ dies vocatur quasi natalitia, et fit hæc dies propria in qua ab omnibus Sancti Festum celebrari debet.

Exempla : Legimus in Breviario quod S. Franciscus Salesius, Episcopus, Confessor et Ecclesiæ Doctor, ad cœlum migravit die 28 Decembris, in Festo Sanctorum Innocentium Martyrum. In Martyrologio annuntiatur hujus Sancti natalitia dies, et describitur elogium hac ipsa die 28 Decembris; sed quando Summus Pontifex Alexander VII ipsum in Sanctorum numerum retulit, cum ejus Festum in die natali esset perpetuo impeditum per Festum Sanctorum Innocentium, mandavit idem Pontifex ejus Festum esse agendum die 29 Januarii. Hæc dies 29 Januarii, a Summo Pontifice sic statuta, fit dies quasi natalitia S. Francisci Salesii, et ejus dies propria et dies Festi, et iterum nuntiatur in Martyrologio ut Festum.

Idem notari potest pro S. Vincentio a Paulo, Confessore, cuius dies natalis annuntiatur die 27 Septembris, et dies quasi natalitia a Summo Potifice statuta fuit 19 Julii, qua celebratur ejus Festum ; — idem pro S. Joanne Cantio, Confessore, qui obiit die 24 Decembris, in Vigilia Nativitatis Domini, et cuius dies quasi natalitia est 20 Octobris ; — etenim in istorum Sanctorum die natali existebat impedimentum pro ipsorum Festo eadem die celebrando : pro S. Vincentio Festum semiduplex Sanctorum Martyrum Cosmæ et Damiani, in eorum die natalitia (animadvertisendum quod primitus Festum S. Vincentii a Paulo erat etiam ritus semiduplicis tantum) ; pro S. Joanne Cantio Vigilia Nativitatis Domini, quæ nullum Festum admittit.

Non pauci sunt Sancti pro quibus Apostolica Sedes ita determinavit diem quasi natalitiam pro ipsorum Festo celebrando ; quando in Festo alicujus Sancti Ecclesiæ universalis in Breviario Romano indicatur mutandum esse tertium versum in Hymno *Iste Confessor Domini* (de quo postea ad Q. 198), generatim dici potest hujus Sancti Festum celebrari in die quasi natalitia.

NOTA. Quando Sedes Apostolica statuit novum Festum Sancti esse celebrandum ab universali Ecclesia in die natalitia vel quasi natalitia, fieri potest quod in aliquo loco, puta Diœcesi, dies statuta sit impedita alio Festo in eadem die jam celebrato ; normæ in casu tenendæ statutæ fuerunt a S. Rituum Congregatione, Decreto generali 21 Novembris 1893 (n. 3811), quæ postea in Tractatu latius exponentur ; pro momento juvat hic notare quod, si pro novo Festo dies natalitia, aut dies quasi natalitia ab Apostolica Sede statuta, sit in aliquo loco Festi alterius occupatione impedita, novi Festi Officium debet ab Episcopo loci Ordinario fixe inscribi in Kalendario loci, non in die pro suo arbitrio, sed in prima die libera post diem propriam ab Apostolica Sede statutam. Hæc prima dies libera vocatur

dies assignata ; Festum quidem remanet in die ab Apostolica Sede statuta, sed Festi Officium assignatur ab Ordinario ad aliam diem ; hæc dies assignata erit tamen primaria pro Sancto, etiamsi sit extra diem natalitiam aut quasi natalitiam Sancti, non enim introducitur aliud Festum præter Festum diei natalitiae.

Exemplum : Per Decretum diei 10 Februarii 1901 statutum fuit in Ecclesia universalis ab anno 1903 celebrandum esse Festum S. Joannis Baptiste de la Salle, Confessoris, sub ritu duplice minori, die 15 Maii. Sanctus obiit 7 Aprilis, dies 15 Maii, ab Apostolica Sede pro sua voluntate selecta pro Feste celebrando, est igitur dies quasi natalitia. Sed in Kalendario Archidioecesis Mechliniensis pro die 15 Maii inscribitur Festum S. Dymphnae, Virginis et Martyris, sub ritu etiam duplice minori : Festum hoc celebratur in die natalitia Sanctæ Dymphnae, qua die annuntiatur ejus elogium in Martyrologio Romano. Retento juxta statutas leges occurrentiæ Feste S. Dymphnae in die natalitia, 15 Maii, Archiepiscopus Mechliniensis juxta easdem leges statuit Officium S. Joannis Baptiste de la Salle perpetuo esse reponendum, non in diem ad suum arbitrium, sed in primam diem perpetuo liberam post 15 Maii, quæ est 22 Maii : hæc est dies assignata fixe pro Officio S. Joannis Baptiste de la Salle.

(Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 74, et passim.)

II. Dies propria alicujus Sancti est ejus dies natalitia ; attamen dies propria etiam jure appellatur et vere censetur dies Sancti quasi natalitia, seu dies per Breve aut Bullam Apostolicam electa et ad perpetuum determinata pro Feste Sancti celebrando extra ejus diem natalitiam, et quæ omnibus juribus et privilegiis diei natalitiae fruitur.

Tamquam propria vocatur illa dies quam, in casu impedimenti pro Festo Sancti celebrando in die propria, statuere tenet Episcopus pro Officio ad perpetuum transferendo seu reponendo ; verbo, tamquam propria est dies pro Officio Sancti assignata, et non fruitur omnibus juribus et privilegiis diei propriae.

Exemplum : Dies 15 Maii est propria Sanctæ Dymphnae, Virginis et Martyris, quia est ejusdem dies natalitia. Eadem dies 15 Maii est propria S. Joannis Baptiste de la Salle, Confessoris, quia, etsi non sit natalitia, est quasi natalitia. In Archidioecesi Mechlinensi Officium S. Joannis Baptiste de la Salle assignatum fuit ad diem 22 Maii : hæc dies non est propria, sed tantum tamquam propria.

NOTA. Dies propria etiam datur pro Festis mobilibus, etiamsi quotannis variis mensis aut mensium diebus occurribus; sic Dominica in qua juxta Computum debet celebrari Pascha, est dies propria Paschatis; Feria V post Festum SS. Trinitatis est dies propria SS. Corporis Christi; Feria VI post hujus Octavam est dies propria SS. Cordis Jesu; Dominica I Octobris est dies propria Solemnitatis SS. Rosarii; etc. Istae dies sunt omnes propriæ, quia ad celebranda hæc Festa fuerunt delectæ ab Ecclesia pro sua voluntate.

(Cfr. Ephemerides Liturgicæ, VII, 1893, pag. 400; et XVI, 1902, pag. 93.)

Q. 112. *Quid intelligitur per Festa « mobilia » et « immobilia » seu « fixa »?*

R. I. Festa mobilia ea sunt, quæ determinatæ alicui diei mensis non sunt affixa, sed quorum celebrationis dies singulo anno mutantur, quia dependent a mobilitate Paschæ; qualia sunt ipsa Resurrectio Christi, Ascensio, Pentecostes, SS. Cordis Jesu, Festum Septem Dolorum B. M. V. in Quadragesima, et similia. (Cfr. Q. 95, II.)

II. Festa immobilia, seu fixa appellantur ea, quæ determinatis diebus mensium affixa sunt, et pro mutatione annorum vel hebdomadæ quotannis non mutantur; ex. gr., Nativitas D. N. J. C. est Festum immobile in die 25 Decembris; S. Rumoldus habet festam diem 1 Julii; S. Alphonsus Maria de Ligorio, 2 Augusti, etc.; attamen, quædam ex his Festis, per accidens interdum impedita, transferri in aliam diem debent, ut dicetur in secunda hujus Partis Sectione.

NOTA. Praeter Festa mobilia de quibus dicitur in responso, et quorum celebratio dependet a cyclo Paschali, alia sunt Festa quæ stabilem sedem in determinata die mensis non habent, sed quæ in determinata Dominica mensis alicujus debent celebrari; qualia sunt Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C., Dominica I Julii; — S. Joachim, Patris B. M. V., Dominica infra Octavam Assumptionis; — SS. Rosarii B. M. V., Dominica I Octobris; etc. — Horum Festorum celebrationis dies dependent a mobilitate litteræ Dominicalis, et proinde

eorum cyclus mutationis constringitur tantum in hebdomada dierum.

Hujusmodi Festa cum stricte fixa dici nequeant, vocantur mobilia, sed lato sensu tantum. Fixa etiam dici possunt eo sensu quod perpetuo fixa sunt in aliqua Dominica determinata; et quidem Dominica in qua fixa sunt perinde est ac si esset dies propria (cfr. Q. 111, II, Nota), a qua non nisi accidentaliter possunt amoveri.

Prædicta Festa lato sensu mobilia videntur fuisse fixa in determinatis Dominicis, inter alios ad eum finem ut melius valeant etiam a populo, seu cum feriatione celebrari.

Festa lato sensu mobilia, Dominicis affixa ratione feriationis, celebrantur sequentia in Ecclesia universalis:

SS. Nominis Jesu, Dominica II post Epiphaniam.

Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C., Dominica I Julii.

SS. Rosarii B. M. V., Dominica I Octobris.

Septem Dolorum B. M. V., Dominica III Septembries.

SS. Nominis B. M. V., Dominica infra Octavam Nativitatis ejusdem B. M. V.

Patrocinii S. Joseph, Dominica III post Pascha.

S. Joachim, Patris B. M. V., Dominica infra Octavam Assumptionis ejusdem B. M. V.

Hæc omnia Festa de præcepto sunt celebranda, et transferenda quando in eorum Dominica impediuntur, ut postea latius dicetur.

Hujusmodi Festa celebrantur etiam sequentia in Archidioecesi Mechlinensi:

S. Familiae, Jesu, Mariæ, Joseph, Dominica III post Epiphaniam.

Patrocinii B. M. V., Dominica infra Octavam Omnium Sanctorum.

SS. Reliquiarum quæ in Ecclesiis Diocesis asservantur et colluntur, Dominica ultima mensis Octobris.

S. Liberti, Martyris, Dominica II Julii.

Translationis Reliquiarum S. Rumoldi, Martyris, Dominica IV post Pascha.

Hæc Festa concessa fuerunt specialibus Indultis Sedis Apostolicæ, cum facultate ipsa transferendi in casu impedimenti. (Cfr. Directorium Archidioecesis Mechlinensis anni 1898, pro Indulto Concessionis Festi S. Familiae, 22 Martii 1897; et Directorium anni 1843, in quo describitur Indultum 22 Maii 1841, pro reliquis Festis.

Per Indultum 28 Julii 1874, Apostolica Sedes nobis concessit etiam septem Officia Mysteriorum et Instrumentorum Dominiæ Passionis, infra Hebdomas post Septuagesimam et tempore Quadragesimali; cum facultate ipsa quando impediuntur transferendi, numquam tamen ultra Quadragesimam. (Cfr. Directorium anni 1875.)

Sed et insuper hodie dantur plures Festivitates, quæ adsignantur certis Dominicis celebrandæ, quales sunt Maternitas, Puritas B. M. V., etc.; hæc Festa conceduntur ob devotiones speciales, sed et etiam ut eorum Officia breviora possint subrogari Officiis Dominicalibus.

Hujusmodi Festa, mobilia lato sensu, minoris certe nobilitatis sunt, et de eis S. Rituum Congregatio plures declaravit quod si impedianter a Festis nobilioribus, omittenda sint, neque transferri valeant, etiam in casu impedimenti perpetui quidem, nisi obtineatur speciale privilegium; et quod Dominicæ cui adsignatae sunt non sit dies propria eorum. Hæc igitur Festa non celebrantur tamquam Festa in propria die, neque sicut Festa mobilia lato sensu de quibus supra, sed tamquam Officia subrogata Officiis Dominicalibus.

(Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 25, et pag. 637-644.)

Per Indultum 7 Novembris 1902 concessum fuit ut in Kalendario perpetuo ac proprio Archidioeceseos nostræ affigi valeant: Dominicæ II Octobris Festum Maternitatis B. M. V., et Dominicæ III Octobris Festum Puritatis B. M. V.; non concessa fuit facultas translationis in casu impedimenti; et ita anno 1903 omittitur Festum Puritatis B. M. V., occurrente in Dominicæ III Octobris Festo duplice 2 classis S. Lucæ Evangelistæ.

Q. 113. Quid intelligitur per « Festa generalia », « Festa propria », « Festa particularia »?

R. I. Festa generalia, seu communia, seu universalia, ea sunt quæ in universali Ecclesia celebrantur, et in Kalendario Ecclesiæ universalis inscripta sunt.

II. Festa propria ea sunt quæ in universali Ecclesia non celebrantur, sed pertinent ad Kalendarium particularis Ecclesiæ, vel loci, vel Diœcesis, vel Nationis; et quæ ibi celebrantur, vel ex præscripto Rubricarum, vel ex concessione Sedis Apostolicæ. Ex diversis titulis Festa possunt esse propria; quæ in nostra Diœcesi

celebrantur Festa propria ad sequentes titulos revocari possunt:

1) Festa particularis Ecclesiæ: Dedicatio Ecclesiæ; Titulus Ecclesiæ.

2) Festa loci: Patronus loci.

3) Festa Diœcesis: Omnia Sanctorum Festa quæ in Kalendario Diœcesis Mechliniensis ab Apostolica Sede approbato occurunt, et in Directorio notantur: *Officium Diœcesanum*. Hæc sunt Festa illorum Sanctorum, qui vel ortu, vel occubitu, vel fidei invectione aut dilatatione, vel præcipuo aliquo munere fuerunt in nostra Diœcesi illustres, et ideo sibi particularem cultum vindicant.

4) Festa Nationis: Festa quædam, vel ab antiquo tempore jam Belgio concessa, cum Belgium erat sub dominio vel Hispanico vel Austriaco, ex. gr., 28 Januarii, Festum S. Juliani Episcopi et Confessoris; 30 Maji, S. Ferdinandi, Regis et Confessoris; 16 Maji, S. Joannis Nepomuceni, Martyris; et alia, quæ in Directorio notantur: *In Appendice Breviarii*.

Et inter hæc Festa nobis propria distinctio quidem facienda est; alia enim sunt *magis propria*, alia minus propria.

Festa quæ sub numeris 1 et 2 recensentur pro aliqua particulari Ecclesia, pro particulari loco, magis propria certe sunt in illa Ecclesia, in illo loco, quam quæ sequentibus numeris 3 et 4 proponuntur. Item magis propria censentur Festa Sanctorum Diœcesis quam Festa Sanctorum nationis.

III. Festa particularia dicuntur ea Festa, hodie in multis Kalendariis particularibus inscripta, quæ proprie Ecclesias vel loci personas non tangunt, sed ob particulares devotiones introducta fuerunt.

Talia sunt, ex. gr., Officia Mysteriorum Passionis D. N. J. C., quæ inde a Septuagesima usque ad hebdomas quartam in Quadragesima singulis Feriis tertiiis aut sextis adscribuntur; — Festa quædam B. Mariæ V., nempe Desponsationis, Expectationis partus, Maternitatis, Puritatis, Patrocini.

Hujusmodi Festa, ab Apostolica Sede concessa ob devotiones particulares, propria dici non possunt nisi quodam lato sensu, et qualitatem proprietatis qualis